

Et fiat: nec sit aliquis qui possit existere & dicere, ecce hoc nouum est: siquidem omne, quod se putauerit nouum ostendere, iam in prioribus saeculis fuit. Nec putemus signa atque prodigia, & multa quae arbitrio dei noua in mundo sunt, in prioribus saeculis esse iam facta, & locum inuenire Episcorum, qui asserit per innumerabiles periodos eadem & eisdem in locis & per eosdem fieri. Alioquin & Judas et ebrius prodidit, & Christus passus est saepe pro nobis, & cetera quae facta sunt & futura, in eadem similiter periodos reuoluentur. Sed est dicendum, quod ex praescientia & praedestinatione dei iam ea facta sunt quae futura sunt. Qui enim electi sunt in Christo ante constitutionem mundi, in prioribus saeculis iam fuerunt.

a ¶ Non est memoria primis, & quidem nouissimis quae futura sunt & c.) Quo modo praeterita apud nos abscondit obliuio: sic ea quae uel nunc sunt uel quae futura sunt, hi qui nasci habent, scire non poterunt: & cuncta silentio praeteribunt, & quasi non fuerint

b ¶ Ego Ecclesiastes fui rex super Israel in Hierusalem. **c** Et dedi cor meum ad inquirendum & considerandum in sapientia de omnibus quae sunt sub sole. Hanc occupationem malam dedit deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. **d** Vidi uniuersa opera, quae facta sunt sub sole, & ecce omnia

absconduntur, & complebitur illa sententia: Vanitas uanitatum, omnia uanitas. Nam & seraphim propterea faciem suam & pedes uelant: quia prima & extrema cooperata sunt. Iuxta autem Lxx. interpretes, qui dixerunt, οὐκ ἐστὶν ἄλλο τὸ πρῶτον καὶ τὸ ἐσχάτον γεννηθῆναι, id est: Non est memoria primis, & quidem nouissimis qui futuri sunt, non erit eis memoria cum his qui futuri sunt in nouissimo: ille de euangelio sensus est: quod qui in isto saeculo primi sunt, sunt omnium nouissimi. Et quia deus ut benignus & clemens, minorum quoque & omnium recordatur: his qui propter uitium suum nouissimi esse meruerunt, non tantam dabit gloriam, quantum his qui se humiliter nouissimi in mundo esse uoluerunt. Dicitur itaque in consequentibus: Non est memoria sapientis cum stulto in aeternum. **b** ¶ Ego Ecclesiastes fui rex super Israel in Hierusalem.) Hucusque praefatio generaliter de omnibus disputans; nunc ad semetipsum redit, & quis fuerit: quo modo experimento uniuersa cognouerit, docet. Aiunt Hebraei hunc librum Salomonis esse penitentiam agentis, quod in sapientia diuitiisque confusus, per mulieres offenderit deum. **c** ¶ Et dedi cor meum ad inquirendum & considerandum in sapientia de omnibus quae sunt sub sole & c.) Verbum ΠΥ, Aquila, Lxx. & Theodotio περιπατησῶ, similiter translulerunt: quod in distentionem Latinus interpres expressit: eo quod in uariis sollicitudines mens hominis distenta lanietur. Symmachus uero ἀρχαίων, id est, occupationem transulit. Quia igitur lapsus in hoc uolumine nominatur: siue occupatione, siue distentionem, siue quid

Matt. 20. b

aliud dixerimus: ad superiorem sensum cuncta referantur. Dedit ergo Ecclesiastes primo omnium mentem suam ad sapientiam requirendam, & ultra licitum se extendens, uoluit causas rationesque cognoscere: quare paruuli corripentur a demone: cur naufragia & iustos & impios pariter absorberent: utrum haec & his similia casu euenirent, an iudicio dei. Et si casu, ubi prouidentia dei? si iudicio, ubi iustitia dei? Haec inquit, nosse desiderans, intellexi suam per suam curam & sollicitudinem per diuersa cruciantem a deo hominibus datam, ut scire cupiat quod scire non licitum est. Pulchre autem causa praemissa a deo data distentio est.

Quo modo enim in epistola ad Romanos scribitur: Propter quod tradidit eos deus in passionibus ignominiae. Et iterum: Propter quod tradidit eos deus in reprobam sensum, ut faciant quae non oportet. Ac deinde: propterea tradidit eos deus in desideria cordis sui in immunditiam. Et ad Thessalonicenses: Propterea mittet eis deus operationem erroris. Et sicut prius causa ostenduntur, quare uel passionibus ignominiae uel sensui reprobo, uel cordis sui desideris concedatur: aut quid fecerint, ut operationem erroris accipiant: ita & in praeteritarum iccirco deus distentionem malam dedit hominibus, ut distentarentur in ea: quia prius sponte sua & propria uoluntate haec uel illa fecerunt.

d ¶ Vidi uniuersa opera quae facta sunt sub sole: & ecce omnia uanitas, & praesumptio spiritus.) Necessitate compellimur, ut crebrius quam uolumus de uerbis Hebraicis differamus. Nec enim possumus scire sensum, nisi cum per uerba dicamus. ΠΥ, Aquila, & Theodotio νόμον, Symmachus βόσκων, translulerunt, Septuaginta autem interpretes non Hebraicum sermonem expressere, sed Syrum, dicentes προαιρέσει. Siue ergo νόμον, siue βόσκων, a pastore uocabulum est, προαιρέσει autem melius uoluntatem quam praesumptionem sonat. Dicitur autem quod agat uniusquisque quod uelit, & sibi rectum esse uideatur, atque in diuersa libero homines ferantur arbitrio, & uana sint uniuersa sub sole: dum inuicem nobis in bonorum & malorum scribibus duplicemur. Dicebat mihi Hebraeus, quo scripturas sanctas instituyente perlegi, quod supra scriptum ΠΥ, uerbum, magis in hoc loco afflictionem & malitiam, quam pastionem & uoluntatem significaret: non a malo quod est contrarium bono, sed ab eo quod in euangelio scribitur: Sufficit dici malitia sua: quae Graeci significantius μάκων uocant, & esse sensum: Consideraui uniuersa quae in mundo sunt, & nihil aliud deprehendi quam uanitatem & malitiam, id est, miseriam spiritus: quibus

Roma. 1. c

H
2. Thess. 2. c

Matt. 6. d